



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 3. Eoru[m], qui ad iudiciu[m] Dei appellauerunt, è veteri Testamento
exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

dicis viuorum atque mortuorum; nec sine petito effectu. Legimus enim frequenter diuinam iustitiam, sic prouocantes manifestissimè absoluisse, & lege talionis ex vita expulisse eos, qui alios & ipsi è vita, sed iniustè, expulerunt.

§. III.

Eorum, qui ad iudicium Dei appellauerunt, è veteri Testamento exempla.

1. Reg.
24. 13.

2. Para-
lip. 24. 23.

Exempla è diuinis litteris, ex vitis Sanctorum, ex aliorum gestis afferri possunt. In diuinis litteris, Dauid capitali Saulis odio multisque insidijs petitus, *Iudicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te*, inquit. Prouocatio hæc fuit; neq; in irritū cecidit, quia, cecidit paulò post Saul, amisâ victoriâ, & vitâ. Clarius exemplum datum est, in Pontifice Zacharia filio Ioia dæ, in quem illi ipsi, quos ab idolis dehortabatur, *miserunt lapides, iuxta regis imperium in atrio domus Domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordia, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat. Cùmq; euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syria: venitq; in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi*

non frustra, ad Dei tribunal provocasse. 92

populi &c. In Ioas quoque ignominiosa exercuere
iudicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languo-
ribus magnis: surrexerunt autem, contra eum,
serui sui, in ultionem sanguinis filij Ioiada sacer-
dotis, & occiderunt eum in lectulo suo, ante
diuinum tribunal, de innocentissimi sacer-
dotis nece rationem redditurum. Pari pacto
Machabæi martyres Antiocho diem dixif-
se censendi sunt: siquidem eorum prædictio-
nes vim imprecationis & citationis habue-
runt, cum dicerent: *Tu autem patienter su-
stine, & videbis magnam potestatem ipsius, quæ
liter te & semen tuum torquebit.* Dictum, fa-
ctum. Neque hæc talia ex impatientia, aut
ira, sed ex zelo iustitiæ & odio impietatis,
perfecta videri debent; sicut neque Moyfes,
quando dixit: *In hoc scietis, quia Dominus
miserit me &c. Si consuetæ hominum morte in-
terierint Dathan & Abiron &c: non misit me
Dominus &c.* neque Elias, quando dixit: *Si
homo Dei sum, descendat ignis de celo, & de-
moret te, & quinquaginta tuos: neque Elisæ-
us, quando vrsos immisit in pueros irriso-
res.*

2. Mach.
7. 17. &
19.

Num. 16
28.
4. Reg. 1.
10.
4. Reg. 2.
24.

§. IV.

*Novi Testamenti exempla diuinum iudici-
um minitantiæ, aut postulantiæ.*

G 2

In